III / ~~265~~. 272

S. P. Ego relictis Gallijs Argentinam pridie nonas Decembris ueni, Frisius, tum quod
aliquantum ex pedis tumore laboraret, tum quod linguae Gallicae studiosior esset, hoc
tempore sequi me noluit. Causa uero, qua subitum abitionis consilium cepi, haec in
primis est, ne indies tantae tyrannidis, quantam tu fortasse iam audisti, spectator
essem, non quod ~~mihi~~ istic manere non tutum ~~[illegible]~~ foret: Etsi pridie quam discederem
in ciuem quendam ac nobilem Flandrum impia plebs caedem perpetrarit, Germanis
est acclamando, indulgentias derisione merebimur. Sed audi Tragoediae prologum.
Fixi sunt eadem nocte, Parisijs, Aureliae ac Genebi, et in regio cubiculo libelli de
missae abusu, sed Domini etiam corporis praesentiam negantes (plerique ad Forellum et
nescio quem Augustinensem Monachum authores referunt) hinc belli initium, capti
circiter quadringenti feruntur, plurimi uere pij, aliqui docti, quidam ex suspicionibus tantum,
hic tu indies uideas, manus praescindi, linguas erui, uiuos comburi, seu potius nouo quodam
ignis genere, quem mitiorem uocant, quasi torreri. Sed tu haec forte pridem rescivisti.
Altera porro causa abeundi fuit, ne istic aes alienum contraherem, atque hic sumptus
facerem minores, quam ~~istic~~ Parisijs fieri necesse est. In aedibus Buceri viuo, quem iam redi-
tum expectamus, ~~[illegible]~~ sed ubi uenerit continuo Marpurgum ei festinandum est. Sa-
lutat te Caspar Mellingerus, qui mihi itineris comes fuit, et iam commilito meus.
Properabat nuntius, plura scribere non licuit. Statui hic aliquot menses agere, et Hebraicis
literis incumbere. Uxorem tuam diligenter ex me salutare iubebis. Argentinae XII
calendas Januarij. M. D. XXXIIII.

Conradus Gesnerus tuus.

Doctissimo et humanissimo
Viro D. Osualdo Myconio,
Basileensis ecclesiæ Antisti=
ti, Mecænati et præ=
ceptori obseruando.

Basileæ.